

T. N. F. C.
DISSERTATIO GRADUALIS,
DESCRIPTIONEM
PAROECIÆ
CUOPIO
CONTINENS,

CUJUS
PARTEM PRIOREM

Conf. Ampl. Facult. Philos. in Reg. Acad. Aboënsi,

PRÆSIDE

MAG. JOHANNES
BILMARK,

Histor. & Phil. Pract. PROFESS. Reg. & Ordin.

Publico Eruditorum examini subjicit

SIGFRIDUS HEN. PORTHAN,

Wiburgensis.

|| In AUDITORIO MAJORI Die XXII. Junii
Anno MDCCLXXV.

H. A. M. S.

ABOÆ Typis JOH. CHRISTOPH. FRENCKELL.



P R Æ F A T I O.

Sicut Sapientissimus ac Benignissimus omnium rerum Moderator terricolis munera sua pro diversitate regionum diverso distribuit modo; ita si æqua lance Savolaxiæ, patriæ meæ carissimæ, indolem perpendamus, fatendum erit, terram hanc, ipsis licet Trionibus subjectam, talia a Munifico Creatore obtinuisse bona, qualia ipsi incolæ cum populorum Meridionalium deliciis, si optio daretur, vix commutarent. Sive enim cœlum contemplemur, serena plerumque facie per totum annum sese conspiciendum præbet: Sive ad solum oculos nostros convertamus, hinc prata exquisitis floræ dotibus luxuriantia, inde autem vasti campi segetibus abundantes passim occurrunt, quos non minus ad voluptatem, quam ad utilitatem flexuosis gyris interseant fluvii ac lacus, piscibus omnis fere generis scatentes. Concedimus equidem, rariora apud nos occurrere indicia tum splendidæ opulentia, tum etiam singularis industriæ in artibus colendis; illud autem tribuendum partim defectui commerciorum partim calamitatibus, quas nostratibus olim intulerunt hostes, hoc autem omnium ferme rerum, ad necessarium victum & amictum pertinentium, copiam erit adscribendum; siquidem in locum decrescens naturalis abundantia terrarum plerumque succrescere

scere soleant industria civium molimina atque ingeniosa pensa. Nihilo tamen minus apud nos tot reperiuntur motiva, solum natale amore prosequendi, quot vix apud alias gentes invenire licet. Enimvero hæc & alia, quæ generalem Savolaxiæ descriptionem concernunt, alii popularium meorum, quem eadem patriæ dulcedo demulcet, explicanda relinquimus, arctiori circo nostram qualemcunque operam nunc inclusuri, eaque succincte explicaturi, quæ ad descriptionem parœciæ Cuopienfis in Savolaxia pertinent. Fatemur autem sarcinam satis gravem nobis ita esse injunctam; sed pietas in patriam adeo validos nobis addit stimulos, ut nobis defuisse existimarem, nisi symbolam, quantam possumus, ad illius illustrationem conferamus, nulli dubitantes, quin innoxiiis hisce conatibus B. Lector faveat.

§. I.

Sive terræ amplitudinem sive incolarum numerum spectemus, Parœcia Cuopio inter Parœcias Regni Svio-Gothici locum si non primum, primo tamen proximum sibi vindicat. Fuit hæc olim tantæ amplitudinis, ut parœcias etiam *Idensalmi* & *Läppävinda* suo ambitu atque nomine comprehenderit. Parœcia autem Cuopio communiter etiam Tavinsalmi nuncupatur, sicut adfatim constat, tam ex Judicium Territorialium & Provincialium heic latis sententiis, quam ex actis Concilii Upsaliensis An. 1593, ad quorum calcem recensentur Pastores & Sacellani, qui illius decretis subscripserunt. Si originem vocis *Cuopio*, ut ab illa ordiamur, quis desideret,

hanc nobis exhibent incolæ a Majoribus suis longa traditione ad se delatam. Scilicet: quum quidam Rusticus ex uestione silvarum (Swedjande) in eo loco, ubi templum nunc exstructum, esset occupatus, eique obviam forte factus fuisset alius, quærens: unde veniret: Prior respondisse fertur: Tuolla kâwin niemällä Cuoppimassa hoc est in isthmo illo fodiebam; quod effatum adeo cæteris arrisisse dicitur, ut totam istam terram Cuopi exinde nominaverint. Sed isthanc Etymologiam in medium relinquentes, aliam probabiliorem proponemus. Ex relatione igitur, quam Admodum Rev. Præpositus b. m. Joh. Dav. ALOPÆUS, Regiæ Cancellariæ Collegio misit, satis constat, quod ad hunc isthmum olim confluerint populi ex vicinis quibuslibet parœciis, ibidemque mercaturam qualemcumque exercuerint, quare Sveci, qui cæteris mixti fuerunt, locum istum Kaupung, emporium, nuncuparunt, quod nomen ad genium linguæ Fennicæ efformatum, in Cuopio mutatum fuit. Appellatur etiam, ceu modo innuimus, Parœcia hæc *Tavinsalmi* a *Salmi*, quod lingua Fennica fretum denotat, & *Tavi*, quod volucrem ex Anatum genere indicat, quæ magna adhuc copia, olim autem copiosius, in isto freto inveniebantur. Addo, quod postquam peculiaris est facta hæc parœcia, diu disputatum fuerit inter incolas vicuum Cuopioniemi & Taviniemi, uter nascenti Ecclesiæ nomen imponeret, & ubinam primum exstrueretur Templum. Lis autem quoad prius controversiæ membrum ita composita videtur, ut ab utroque vi-

cu nova Parœcia denominaretur, & allata nomina promiscue adhiberentur. Quod ad limites, quibus hæc Parœcia cingitur, attinet, a Septentrionali parte adhæret parœciæ *Idensalmi*, ab oriente contigua est parœciis *Carelia Liblits & Pelis*, ab occidente ditionis *Tavaftburgensis* parœciæ *Rautalambi* & a meridie parœciæ *Läppävirda*. Patet autem hæc parœcia in Latitudinem seu a meridie boream versus per 9 milliaria, Svecan. & in Longitudinem seu ab occidente orientem versus per 10 milliaria Svec. adeoque area hujus est 90 milliar. quadr. An. 1769 in parœcia nostra fuerunt 1383 convictoria (*Mattlag*) & 11516 homines, qui numerus intervallo duorum annorum ita increvit, ut an. 1771 illa fuerint 1425, hi autem 11915. Nec silentio erit prætereundum, quod Parœcia *Cuopio* olim quoque dicta fuerit *Savolaxia Minor*, *Lill-Savolax*; pars autem Meridionalis, ubi nunc est parœcia *St. Michaëlis*, una cum vicinis parœciis communi nomine dicta sit parœcia *Savolaxie Majoris*, *Stor Savolax Socken*. Perhibent enim nonnulli, *Savolaxiam* proxime post Christianismi heic propagati initia, in tres admodum parœcias fuisse divisam, scilicet *Savolaxiam Majorem*, *Minorem* & *Seminge*.

§. II.

Templum Parœciæ *Cuopienfis* tribus vicibus exstructum fuisse, certo accepimus; quo autem anno primum horum fuerit fundatum, deficientibus monumentis Historicis, hætenus expiscari non potuimus. Sicut nec compertum habemus, quo tempore

pore Parœcia *Cuopio* a *Seminge* fuerit separata. Quantum autem ex verosimilibus colligere licet argumentis, primum Templum *Cuopienſe* ædificatum eſt circa initium ſæculi XVI. In hujus locum a *Moschovitis*, ſæviente per *Finlandiam* *Bellona*, deſtructi, alterum Templum *Cuopienſe* die 26 Martii An. 1639 fuit conſummatum, quamvis a pluſtro inſcriptum legamus An. 1640. Sed *Campanarium* huc ſpectans exſtructum fuit An. 1656, quod integrum manſit, dum alterum hoc Templum, fulminis icſtu percuſum, anno Sæculi noſtri XVIII conflagraret. Calamitatibus autem priorum tempeſtatum vexati, & tantum non exhauſti *Cuopienſes* tertium Templum An. 1746 demum ſunt moliti, quod Sacris peragendis adhuc inſervit, & utinam quam diutiſſime poſthæc inſerviat. Ædem vero hanc ſacram, quum res anguſta domi ita eſſagigaret, ex ligno conſciendam curarunt Noſtrates. Quod ad Templi ornatum attinet, eſt hic valde exiguus, quippe qui conſtat aliquot palliis *Sacerdotalibus* partim ex ſerico partim ex *holoferico* conſectis, nec non calice argenteo cum *patella*. Templum quoque exornant tam *fuggeſtus*, quam *Candelabrum* (*Ljus-Krona*) ex *orichalco* fuſum, ex quo prominent *duodecim* brachia. *Picturæ* ex *parietibus* ſuſpenſæ vulgares admodum ſunt, & partem *Hiſtoriæ* *Salvatoris* noſtri *Chriſti* exhibent. In *Campanario* duæ moventur *Campanæ*, altera minor & antiquior cum inſcriptione: *GUDS Helliga Förfamling i Cuopio en Klocka til tjenſt och nytta af Gref PEHR BRAHE, Antonii Wile in Lybec* An.

An. 1653. Altera major ac recentior cum inscriptione: Sen Curivaldian Runingan FRIEDERICHIN I. Hallituren airan kofka Baroni ja Riddari Jacob Henric Wrede oli Maan Herra: Magisteri Doctor Johan Nylander oli Pispä: Seurakunnan Wapin Henric Argillander Kirkoherra: Kappalaiset Zacharias Argillander, Carl Salenius, on tämä kello walettu Stockholmissa vuonna 1750. Johan Fahlstedt.

HEKraffen minä helisen, Cunahtelen Cuopiossa, Hengetöin Hengellissä Herättelen HEKraan töihin, kinnhdan Kirkohan kausaan; Samo Saarnaja sisellen elä Luojasi unhoda, Lunastusta Suuren HEKraan; nyt on awai armon ovi, Tarjona taiwan tawara. Huuta HEKra Hallelujah!

§. III.

In Templi Cuopiensis matricula, quæ ibidem servatur, sequentes memorantur Ecclesiæ nostræ Pastores 1:0 *Æschillus Kaubainen* natus in Nylandiæ parœcia *KarisLuogo* atque vicu *Kahala*, cujus ætate Ecclesiæ Cuopiensi, tamquam matri, paruerunt parœciæ *Idensalmi* & *Läppävirda*, ut Filiæ. 2:0 *Laurentius Æschilli Kaubainen*, uterque horum sedem suam Pastoralem habuit in pago *Raunikala*. 3:0 *Thomas Johannis*, Æschilli modo memorati gener, qui Consilio Upsaliensi An. 1593 una cum Sacellano *Paulo Laurentii* subscripsit. 4:0 *Thomas Lackman*, an hic vel Pastor vel Sacellanus Cuopiensis, vel idem forte cum *Thoma Johannis* fuerit, nondum certo statuere possumus (a). 5:0 *Paulus Laurentii Kaubainen* Syethice *Skopa*, habitavit in *Hatzala*, quæ nunc est

est sedes Centurionis, illius conjugem ob feroces mores *Willi. Wallborg* appellarunt incolæ. Dum hic ecclesiæ nostræ curam gessit, primum templum, quod variis exornatum fuisse picturis perhibetur, a Moschovitis est combustum, campana ablata & ad Tohmajârvi delata, quæ etiamnum servatur in Templo Kexholmensi. 6:o *Olaus Krogerus*, quem circa an. 1634 floruisse constat. 7:o *Samuel Thomæ Lackman*, cujus sub auspiciis alterum Templum Cuopiente fuit exstructum. 8:o *Petrus Fabritius*, Pastor Cuopiensis An. 1639 constitutus, Ecclesiæ huic per 28 annos præfuit. Hic pio religionis zelo ductus, una cum Ædituo suo *Martino Lydikainen* umbrosas excidit arbores, sub quibus gentiles sacra sua peregerunt, quæ loca *Ristin Canda* ab illis dicebantur. 9:o *Christianus samuelis Lackman*, qui per duos tantummodo annos Ecclesiæ curam gessit, fatis cito cedens. 10:o *Stephanus Linneus*, Pastor 1669, duxit in matrimonium viduam Præpositi Fabritii & an. 1676 diem obiit Supremum. 11:o Magister *Johannes Georgii salmenius*, antea Facultatis Philosophicæ Aboënsis Adjunctus, nec non Director cantus, Vir multæ eruditionis, & ut tempora tunc erant, insignis Musicus. Edidit Aboæ an. 1657 disputationem, Theoremata nonnulla ex diversis disciplinis desumpta continentem, Præf. Bergio, atque anno 1677 factus est Pastor Cuopiensis & paullo post Præpositus, decessit An. 1683. 12:o *Andreas Arvidi Sculptorius*, Pastor Ecclesiæ Cuopiensis an. 1685, e vita migravit an. 1689. Sicut multitudo incolarum nostræ parœciæ
mul.

multum increverat; ita sub hoc Templum in duplicem longitudinem fuit protensum, additusque suggestus, cujus pretium 400 Thal. Cupr. 13:0 Huic successit *Israel Willander*, qui ab anno 1690 usque ad an. 1693 Ecclesiæ Cuopiensis curam gessit. 14:0 *Henricus Hoffrén*, Pastor Cuopiensium animarum an. 1694 constitutus, obiit an. 1718 subitanea morte correptus, dum funus sepeliret feria IV nativitatibus Christi. Postea inter Bellonæ furores filius ejusdem *Henrici* per 4 annos, ut vicarius Pastoris, Ecclesiæ curam gessit. 15:0 *Henricus Argillander*, natus 1673, Adjunctus Præpositi Randasalmensis an. 1695, Pastor cohortis cujusdam militum an. 1710, Pastor Legionis Aboënsis 1712, Pastor Cuopiensis an. 1722, diem suum obiit die 14 Nov. 1756. 16:0 *Henricus Porthanus*, Pater meus Indulgentissimus, qui postquam variis, sæpissime adversis, jactatus fuisset fatis, qualia esse solent eorum, qui inter bellorum discrimina commissos sibi coetus deserere, sibi religioni ducunt, tandem an. 1758 Pastor Cuopiensis factus, cui longam ac vegetam senectutem ex intimo pectore aprecamur.

- (a) In Templo Cuopiensi adhuc servantur *Litteræ* sic dictæ *immissionis*, quas Pastor Thomas Lackman An. 1603 concessit Rustico *Ivaro Ibalain* in insulam Rökensari; in quibus hæc leguntur verba: quod quum nemo tributum quoddam pro ista insula adhuc præstaret, eadem colenda memorato rustico concedebatur: unde apparet, majorem parœciæ Cuopiensis partem ista tempestate incultam fuisse.

§. IV.

Sacellanorum Ecclesiæ Cuopiensis magis obliterata est memoria, quare sequentes tantummodo nobis innotuerunt: 1:o *Paulus Laurentii Kaubainen*, qui inter primos fuit, atque Concilio Upsaliensi an. 1593 subscripsit. Longo post tempore munus Sacellani obtinuit 2:o *Gabriel Petri Fabritius*. 3:o *Samuel Petri Fabritius & Samuel Christiani Lackman*, qui simul fuerunt Sacellani, postulantibus Cuopiensibus an. 1673, ut bini semper essent Ecclesiæ Sacellani. 4:o *Henricus Mona & Johannes Argillander*. 5:o *Samuel Argillander* 6:o *Johannes Paldanius*. 7:o *Johannes Mollerus*. 8:o *Henricus Mæchelin*. 9:o *Zacharias Henrici Argillander*, 10:o *Jacobus Esslander*, 11:o *Carolus Salvenius*, 12:o *Josephus Herkepæus*.

§. V.

Quum nulla ferme sit gens, quæ antiquitatis gloriam præ cæteris sibi vindicare non nitatur, quare populi quidam sese *αὐτοχθόνες* esse venditarunt, plerique tamen in eo conveniunt, quod majores eorum ab ipsis gigantibus suos repetant natales. Similiter incolæ parœciæ Cuopiensis longa traditione sese a majoribus suis accepisse ferunt, quod primi, qui ad hæcæ oras adpulerint, fuerint proceræ admodum staturæ, quos igitur nostri sua dialecto nominarunt *mateli kusa*, id est Gigantes. In fidem traditionis monstrantur in nostra parœcia etjam plura loca, in quibus aliquantisper commorati fuerunt. Sic in litore

tore lacus *Ruokovesi* occurrit excelsus mons, qui *Mätelin kallio*, id est saxum giganteum, adpellatur. Insuper præter varios lapidum cumulos partim orbiculares, partim quadratos passim obvios in monte memorato ostenditur locus, ubi lapides fatis magni in formam quadratam dispositi sunt: in medio autem partis orientalis eminent ingens lapis, qui speciem fellæ cujusdam curulis (a) præbet. Ante centum, & quod excurrit, annos inventa fuit in eodem monte fera fatis magna ex argento confecta, zonæ constringendæ apta. A parte autem occidentali lacus memorati occurrunt campi arenosi, *Mätelin kangas* nuncupati, in quibus plures speluncæ quadratæ, Lapidibus stratæ, inveniuntur. Ferunt quoque hos populos ad Bothniam orientalem sese deinceps contulisse. Enimvero, quæ de gigantibus passim traduntur, talia ex nostra sunt opinione, quæ cum grano salis accipiendæ videntur. Sicut enim nemo facile negabit, homines cæteris longiores omni fere ævo existisse; ita ægre nobis persuademus, primos terrarum incolas fuisse singulos proceræ admodum staturæ, naturamque sensim in suis operationibus ita defecisse, ut propter impotentem senectutem pusillos tantum homines nunc producat.

(a) Alii existimant lapidem hunc, cujus longitudo est 21 ulnar. Sveth. & latitudo 15 uln. referre quam maxime figuram mensæ.

§. VI.

Sicut Carelii, aliis nationibus mixti, sæculis superioribus

bus in Svethiam saepe irruptionem fecerunt; ita quoque Savolaxios, vicinos suos, turbulentis hisce temporibus non raro sunt aggressi; quorum ultima in nostras oras invasio facta est an. 1656, eademque communiter appellatur *Metelin Sata*. Prælium isthoc contigit in Parœcia *Cuopio*, & quidem in pago *Oclanniemi*, qui etiam *Metilla* a nostratibus dicitur. Cernitur heic etiamnum taberna, ad quam sagittos jaculando sese exercuerunt Carelii. In hac autem irruptione res hostibus satis infeliciter cessit; quippe qui partim profligati, partim vivi concremati fuerunt. Inprimis quum in duabus forte ædibus hostes magno numero congregati essent, Savolaxii, ipsis securis supervenientes, ædes incenderunt. In his angustiis constituti Carelii, porrectis extra fenestras marsupiiis, argento distentis, salutem & vitam hoc lytro sibi implorarunt; Cuopienses autem, calamitatibus priorum temporum exacerbati, bipennibus suis exporrectas manus amputantes, oblatam prædam ita abstulerunt. Cuopiensium Dux in isthoc tumultu fuit Paulus Lydikain, Corporalis, jam ætate proventus quidem, sed qui animum æque imperterritum nunc monstravit, ac dum sub auspiciis Regis gl. m. GUSTAVI ADOLPHI in Campis Lutzensibus acriter pugnavit.

§. VII.

In parœcia *Cuopio* & vicu *Tavinjalmi* monstrantur etiamnum rudimenta propugnaculi cujusdam, pro

pro quo deinceps exstructa fuit Arx nova (Nyslott), quæ primum *Landserona* nominabatur. Ne autem opus tanti momenti defectu alimentorum impediretur, auctoritate publica silvarum exustio magna facta est circum circa *Wuotjärvi*, & frumenta, quæ hinc colligebantur, ad Nyslott sunt delata. Uterius notandum est, quod *Tavinsalmi* olim fuerit Stabula quædam pecuaria Regia (*Rongö Ladugård*) quam Regina Svethiæ CHRISTINA, quæ ipsius fuit muniticentia, Generali Gubernatori Finlandiæ, Dn. Comiti PETRO BRAHE concessit. sed quam deinceps fisco revendicavit Rex CAROLUS XI. Prædium hoc *Tavinsalmi* nunc constat octo Prædiolis (*Rrono-Hentman*), sed quæ duas tantummodo portiones viriles (*Mantal*) efficiunt, prope quæ magna turborum (*Sijf*) copia quotannis colligitur. Nec hoc loco reticendum, quod in monte *Pisanvuori*, qui Savolaxiam a Carelia determinat, conspiciantur lapidibus inscriptæ *Tres Coronæ*, insigne regni Svethici, & annus 1150 nec non *aquila expansis alis* insigne Imperii Rossici, unde nonnulli colligunt, limitem inter utrumque Imperium ista tempestate per juga istius montis transiisse; sed quam rem nos in medio relinquimus.

§. VIII.

Memorabilia paroeciæ Cuopiensis exponentes, nec reticendus erit lamentosus admodum casus, qui ipso Festo Nativitatis Christi an. 1760 in Templo Cuopiensi contigit. Scilicet militis cujusdam grega-

rii uxor duos secum infantes in Templum deduxit, ad audiendam concionem matutinam. Sed quum ingens tunc ibi esset hominum frequentia, liberi ejus, confluyente turba, ita premebantur, ut vitam cum morte commutarent. Mater autem funesto hocce casu tenerrime afflicta, querula voce altius lacrymari cœpit, ut auditores suo ejulatu percelleret, cumque linguli terrore palpitarent, quidam hinc occasionem sibi sumsit, alta voce exclamandi, quod Templum ipsum flagraret. Habita est huic fides, & mox omnes e Templo erupuerunt, tantusque factus est hominum concursus, ut duodecim homines in his angustiis miserandum in modum perierint. Quamvis autem postea animadverterent, terrorem hunc Panicum fuisse, persuaderi tamen tremefacta hæc multitudo non potuit, ut Templum hoc die amplius intraret; sed in circo Templi seu cæmeterio altera concio sub dio fuit habita.

§. IX.

Denique quum Parœcia Cuopiensis sit insignis amplitudinis, ceu supra indicavimus, & incolæ proinde ad unum templum difficulter convenire possent; post auctum quotannis incolarum numerum fuit necessarium, ut varia hinc inde extruerentur Sacella, sed quæ admodum sunt exigua. Sic an. 1738 fundatum fuit Sacellum *Nilså*, quod tamen non prius Sacerdotem accipiebat, quam an. 1772, Sacellanus hoc tempore est Johannes Palander. An. 1765 extru-

exstructum fuit Sacellum in pago *Kirtula*, sed valde angustum; Math. Landanus Sacerdos hujus Sacelli est. Aliud paris ferme magnitudinis an. 1766 fundatum est in *Halolanpeldo* & vicu *Maninga* auspiciis Nobil. Sub Centurnionis Dn. CAROLITAVAST; heic animarum curam hodie gerit Clemens Sirelius.

S. D. G.



